

Eustasius Donati de Leone

12

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Eustasius Donati de Leone

*12*

1452-05-24

In nomine Domini nostri Iesu Christi amen.  
Anno a nativitate eiusdem millesimo quatricentesimo quinquagesimosecundo. Regnante ... Alfonso Dey gratia Aragonum, Sicilie citre et ultra / farum, Valentie, Ierusalem, Hungarie, Maioricarum, Sardenie et Corsice rege, comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie ac etiam comite Rissilionis et Ceritanie, regnorum ... eius huius regni Sicilie citra farum anno decimonono, ... dominante quoque in principatu Tarenti et civitate Matere ... domino Iohanne Antonio de Baucio de Ursinis, principe Tarenti, comite Licii ac regni Sicilie magno comestabulo etc., domini... sui ipsius civitatis Matere anno tricesimo,... mense Maii, die vicesimoquarto eiusdem, quintedecime indictionis, Matere.

Nos notarius Eustasius Donati de Leone, civis et habitator civitatis Matere, per totum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate notarius, puplicus ac actorum magister de commissione et beneplacito... domini principis Tarenti, in curia domini capitanei civitatis Matere specialiter deputatus... notum facimus... quod dum die vicesimoquarto mensis Maii, quintedecime indictionis, Matere, una cum... notario Thomasio de Caris de Baro, principali capitaneo civitatis Matere pro presenti anno... curia sedente pro tribunali, existeremus in banco iustitie sedente, per ipsum capitaneum lata fuit et promulgata presens sententia, tenoris... subsequentis, videlicet. Nos notarius Thomas de Caris de Baro, principalis capitaneus civitatis Matere etc., presente quoque nobiscum nobili et discreto viro notario Eustasio Donati de Leone de eadem civitate... nostro actorum magistro, per hanc nostram declaratoriam sententiam

notum facimus universis quod dum pro tribunali sederemus et curia regeremus, loco et more solitis, singulis conquerentibus iustitiam ministrando, pro ut // ad nostrum spectabat et spectat officium, comparuerunt coram nobis et dicta nostra curia Troylus comitis Carbonis et Antonius de Palmo, cives et habitatores ipsius civitatis Matere et querulanter exposuerunt qualibet Martacius Antonii Papelionis de Matera, dictus Gaptinus, civis et habitator eiusdem civitatis occupavit et occupat indebite et minus iuste, contra Deum et iustitiam, certas terras seminarias sitas et positas extra civitatem Matere, in contrata que dicitur Matina Magna Matere, iuxta viam qua itur sanctum Hieronimum, iuxta vallonem iacony Antonii Francisci Morrosii, iuxta terras quondam Iacobi Scribisancii, iuxta viam seu stratam Tarentinam... Qua de causa ad eorum instantiam et petitionem, ipsum prefatum Martucium dictum Gaptinum citari et conveniri fecimus, ut sequenti die iurico citationis ipsius comparere deberet in iudicio responsurus (*sic!*) prefatis Troylo et Antonio de Palmo, ipsumque in dicta curia civiliter convenire volentibus super traditione (*sic!*), restitutione et assignatione prefatarum terrarum per eum eis occupatarum, iam sunt anni elapsi viginti vel circa. Qui quidem Gaptinus in iudicio vocatus comparuit et interrogatus desuper tenore petitionis per dictos Troylum et Antonium ei facte, effectualiter respondit quod ipse Gaptinus contentabatur observare predictis omnia et singula in dicto instrumento contenta iuxta continentiam et tenorem ipsius instrumenti, quare dictis Troylo et Antonio de Palmo mandavimus ut dictum instrumentum coram nobis et nostra curia presentare deberent, qui ad probationem cause eorum ipsum instrumentum coram nobis et nostra curia sanum et integrum obtulerunt,

tenoris... sequentis, videlicet (*qui segue il documento n. 1*) Post cuius instrumenti inspectionem et lectionem, mentaliter discurrendo utrum dictas eorum terras solummodo pro ipsius proprie instrumenti inspectionem poteramus ipsas terras residendo in curia viridice diffinire et declarare, finaliter comprehendimus quod si ad proprium seu faciem loci de quo habebatur questio non fueramus personaliter accersiti, minime ipsas terras volueramus iuritice determinare. Qua propter, ad declarationem negotii et questionis agitate, deliberavimus personaliter accedere una cum certis probis viris super faciem ipsius loci, citato prius et requisito predicto Gaptino, ut una nobiscum personaliter se conferre deberet. Qui quidem..... et vali-/-tudine oppressus se excusavit illuc personaliter non posse accedere, unde in vice sui mictere destinavit nobilem et discretum virum Nicolaum de Gorrisio, civem et habitatorem civitatis Matere, exortans eundem ut tale honus in se deberet assumere et tribuens eidem presenti et acceptanti in premissis et circa premissa totaliter vices suas; et sic sumptibus nobis, videlicet die vicesimosecundo mensis Maii, quintedecime indictionis et una nobiscum nostro actorum magistro, nec non certis aliis probis viris de Matera, videlicet: Francisco Donati de Iacobo, Pascarello de Papaleone, Iannino Nicolai de Archiepiscopo, Iohanne Blasii de Piczolella et Angelo Natalis de Papaleone, de eadem civitate Matere; et existentibus nobis ibidem incepimus diligenter factum examinare et discutere subtiliter et in forma debita, sic quod omnes inibi astentes de presenti determinatione et declaratione fecimus certiores, circumdando terras ipsas per fines et limita, ita et taliter quod per ea que vidimus et oculate inspeximus et iuxta seriem

et tenorem ipsius instrumenti in publicam formam redacti et que animum nostrum moverunt et movent animum cuiuslibet iudicantis, Yesu Christi nomine invocato, de cuius vultu recta iudicia prodeunt et oculi iudicantium recipiunt veritatem, determinamus et declaramus fore et esse debere supradictas terras cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, cum introitibus, exitibus atque actionibus heredum quondam Simonis et Colucii, filiorum quondam Paschalis de sire Addanesii de eadem civitate Matere, in hiis scriptis hanc nostram sententiam proferentes. Lecta, lata et recitata extitit presens sententia die, loco et indictione predictis, coram infrascriptis domino Nucio Donati de Iacobo de Decano, dopno Marco Andree Triance, Donato de Leone, Antonello de Marco, Angelo Donati de Iacobo et Nicolao Francisco Iacobelli de Ciccarello.

Unde ad futuram rey memoriam et predictorum // heredum cautelam et omnium quorum vel cuius exinde interest vel interesse poterit certitudinem, pariter atque fidem factum est per nos de premissis hoc presens publicum instrumentum scriptum quidem per manus meum Eustasii publici ut supra notarii et actorum magistri, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui et meo solito signo signatum atque meo consueto nicio niciatum, prefatique domini capitanei manus proprie subscriptione subscriptum et suo in talibus affigi solito nicio communium ac subscriptorum testium subscriptionibus roboratum Thomasius de Caris de Baro principalis capitaneus civitatis Matere fatemur omnia et singula predicta in presenti instrumento contenta fore et esse vera, ad quorum fidem et testimonium proprie... subscripsimus et nostro in talibus affigi solito nicio

niziavimus notarius Eustasius Donati de Leone puplicus  
ut supra notarius et actorum magister qui premissis  
omnibus interfui et presens puplicum instrumentum  
de premissis ad petitionem predictorum heredum in  
presentem puplicam formam reddegi ipsumque meo  
solito signo signavi et meo solito nicio niciavimus  
† Ego Nicolaus Franciscus Iacobelli de Ciccarello  
supradicta fateor me subscripsi † Ego Donatus de Leone  
supradicta fateor et me subscripsi † Ego domnus Marcus  
Andree Triance supradicta fateor et me subscripsi † Ego  
Antonellus de Marco supradicta fateor et me abscripsi  
† Ego domnus Nucius Donati de Iacobo de Decano  
supradicta fateor et me subscripsi † Ego Angelus Donati  
de Iacobo supradicta fateor et me subscripsi //